Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25990
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uo applicatur prout est in ipso fonte s. in sole. Lumen prout est in aere illuminato. Lucerna prout est compositum et contentum ut vas aliquod. Omnis autem lux corporalis vel luminis est per derivationem sive diffusionem ab ipso fonte lucis vel a sole. Ignis vero iste inferior ardens in materia aliena non generatur nec promotum nullius materie vel in materia existit sic est ignis carbonis qui proprie dicitur ignis candens vel in materia aerea qui dicitur ignis flamme et est ignis splendens. utrumque vero est fluens plus et minus pro quantitate materie in qua ardet. ¶ Secundo in distinguitur sub mystica lux et mysticum lumen et mystica lucerna. Lux mystica et spiritualis sive incorporalis est ipsa natura divina. que est prima lux existens in natura propria ut in ipso fonte claritatis divine. a qua per participationem et diffusionem est omnis lux creata. unde ipse deus pater a quo est origo fontalis dicitur pater luminum. Jac. i. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum etc. Huius parentis lucis duo sunt radii sunt coequales et coeternales ab illa parentis luce emanantes ab eterno. unde procedunt nomen quod est filius parentis lucis et maiestatis. alter per modum voluntatis ab utroque procedens s. spiritus sanctus qui quasi ex processione et reflexione duorum radiorum a se et ad se est calor divinus et amor utriusque s. patris et filii. a quibus duobus radiis tamquam a montibus eternis splendor omnis illuminationis spiritualis et corporalis diffunditur et effunditur super omnem creaturam. Ps. Illuminas tu mirabiliter a montibus eternis. et calor etiam divine largitatis benivolentie et bonitatis divine fovet et replet et continet omnia. Ps. Nec est qui abscondat a calore eius. unde pro hoc Gen. i. Spiritus domini qui ferebatur super aquas quod in hebreo magis proprie positum est pro aperitate illius lingue sic. Spiritus domini fovebat aquas illa prima et rude materia ad productionem rerum quasi calore divine bonitatis et largitatis fovebat. vel cum ea et circa / vel ex ea sicut gallina fovet ova calore suo ad productionem pullorum. ¶ Lux igitur spiritualis et fontalis est natura divina. ¶ Lumen vero et lucerna est creatura [...]pe. Lux n. divina effusa et diffusa super creaturam spiritualem quasi in perspicuum quoddam carens grossitie materie corporalis. facit lumen spirituale quod est angelus ipse quod et dicitur Jac. supra licet descendens a patre luminum. s. angelorum scilicet qui sunt lumina descendentia a patre quia sunt creatura pura. per [?] in primo Jerarchie. filius vero non est lumen descendens a patre tamquam inferior sed procedens tamquam lumen coequale. ¶ Effusa vero et diffusa illa lux super naturam corporalem. facit lucernas corporales in corporibus ut solem et lunam et stellas que nichil sunt nisi lampades et lucerne mundi istius corporalis. Item facit et lucernas spirituales ex animabus et corporibus in sanctis hominibus qui sunt lucerne spirituales in firmamento sancte ecclesie lucentes et ardentes in se et alios illuminantes et accendentes. Ita quod lumen lucernarum illarum est gratia intus illuminans et accendens ad cognitionem et amorem. Lucerne vero sunt vel ipse anime et corpora sanctorum simul iuncta. in quibus lucet et ardet lumen gratie interioris sicut dicitur [?] Jud. vii. quod complosis et confractis lagenculis in quibus abscondite erant facule. apparuit et diffusus est ignis etc. quia sanctorum corporibus per mortem resolutis in quibus latet facula gratie et caritatis. statim apparet et diffunditur ignis divinum sanctitas ipsorum claret post mortem in miraculis. vel et ipse lucerne intelliguntur opera nostra sic exponitur [?] sicut dicitur ubi Luc. xi. Lucerna corporis tui est oculus tuus. et quod lumen gratie ardens et lucens interius apparet exterius in solis operibus. unde lucerna corporis vel luminis operis est oculus intencionis. ¶ Lucerna itaque creata non lucet per se nisi a divina luce illuminata et accensa. unde Greg. super Ezech. omelia vi. Lumen creatum nobis non lucet nisi illustretur a lumine increato. unde mens lucerna obscura est nisi eam lux divine veritatis illustret. sic et in Ps. Quoniam tu illuminas lucernam meam domine etc. unde et illarum lucernarum quarum sunt sola testa cordis vacua oleo gratie et lumine intelligentie —